






1. Boek f. Friderici Samuelis / diff. De Notione  
Immensitatis Dei amplificanda Coa-  
templatione magnitudinis Mundi.  
Regionenti 1768. Autor J. C. Revers.
2. Bode f. Christophorus Augustus / protevan-  
gelium Genesios Cap: 111 Vers: XV. Helm-  
stadt 1763.
3. Boehmer f. D. philip. Adolph: / programma, de  
Christo filio Boninii, Halle 1763.
4. ——— programma, addita est illustratio  
addita est: Illustratio loci 1 Corinths 20; vers. 51,  
Halle 1766.
5. ——— programma in commentatorem ad  
illustrationem Actuum Apostolorum, 1766.
6. Buchner f. D. Andreæ Eliae: / programma in  
diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrack f. Ioh: Tob: / programma paracleti  
Appellatione spiritui sancto tributa,  
Halle 1764.

LAETAM  
CHRISTI NATI  
SOLEMNITATEM  
FRIDERICIANAE CIVIEVS COMMENDAT  
PRORECTOR  
GEORGIVS FRIDERICVS  
MEIER  
PHILOSOPHIAE PROFESSOR ORDINARIUS  
REG. ACADEM. SCIENT. BEROLINENS. MEMBRVM,  
C V M  
D I R E C T O R E  
E T  
SENATV ACADEMICO RELIQVO.  
PRAEMISSA  
COMMENTATIONE BREVI  
AD ROM. VIII, 3.

HALAE MAGDEBURGICAE  
TYPIS FRIDERICI WILHELDI HVNDTII. MDCCCLXVIII.






**P**ostulat dierum, qui instant sacri, prisca solemnitas, ut liberaliter nobis in animum reuocemus summi beneficii, quod Christo mortales debent, frugiferam saluberrimamque indolem. Adiumentum huic negotio elegimus carmen illud, ex Pauli Epistola ad *Romanos* c. VIII, 3. quod et ab argumenti magnitudine, et phrasium quarundam ingenuo sensu, diligentiori quadam illustratione praecipue dignum esse videtur. Non rari certe sunt, vel ex antiquioribus graecis latinisque scriptoribus, qui a iusto atque probabili huius carminis argumento non parum secesserunt<sup>(1)</sup>: haud paulo diuersam atque, si dicere fas est, ignobiliorem informantes interpretationem, quam nostra aetate colligere atque reperire, iure nostro, solemus. Sed operae non viderur pretium, longo ordine minus felicium commentatorum inire hic censum; rei potius ipsi iam operam dabimus.

Quod attinet ad orationis seriem, facile perspicitur, Paulum id omnino agere per Epistolae hanc partem, quae a capite 5. porrigitur: ut efficiat, atque persuadeat, christianae nouae societatis ciues, qui e Iudeis venerant, exuisse per baptismum pristinam, quae locum ad ipsos, (per circumcisionem,) habuerat, legis Mosaicae auctoritatem; nec hac lege aliis christianis, qui e gentibus colligebantur, suam in rem opus esse.

A 2.

Haec

(1) De varietate expositionum vetustiorum confer. *Benedictum Iustinianum* in h. l. *Corne-lium a Lapide*, in hunc locum, qui *septem* explicaciones assert; *Calmetum*, tomo 8. operis biblii. *Peccatum*, Satanam, (ita iam graeci non pauci,) *diabolum* multi intellexerunt, qui peccauit in carne corporis Salvatoris, quem immoritur morte afficit; vid. *Ambrosijstrum* in hunc locum; sic et post *Origenem* *Hilarius* in *Psalm. 67. Jacobus Faber, Camerarius*, aliique has sententias maluerunt transire, quam explicare.



Haec enim lex partim non fuit humano omni generi imposita (?), Cap. V, 20. (*παρεστηθεν*) partim non ea est praedita indole: ut hominem ipsum, tot ab ineunte aetate vitiis et male factis peruersum, vetando praecipiendoque, emendet, et noua vita et facultate mentis augeat; quod praecipue per Cap. VII. illustrauerat tristi suo aliorumque, qui maxime legi ve-  
lint obsequi, experimento; moralem mortem, prauamque hominis omnem  
confuetudinem minime corrigi aut tolli posse legis istius beneficio. Ita-  
que longe perfectiorem legem, τον νομον τις πνευματος και της ζωης Deus  
cunctis hominibus prospexit, per Iesum Christum, c 8, 2. huius est illa  
vis atque virtus, vt prauam peccandi torpendique et languendi consuetu-  
dinem, quae *mors* dicitur, omnino infringat; homo igitur hac vita noua,  
et spiritu alio praeditus, facile carer ea lege; quae hac indole et do-  
te non est praedita; a Deo certe nihil nobis suppliciorum imminet, licet istam  
legem, tam mediocrem atque imperfectam, non sic obseruemus, vt differimus  
inter Iudeos et gentes continetur; modo hac noua facultate, et perse-  
ctiori doctrina Christi, recte vtamur. Hic iam carmen nostrum sequitur,  
το γαγ αδυτατον τε νομον (?) , εν ω ηδερε δια της σαρκος. Liceat primam sen-  
tentiam explicare breibus. Dicit igitur Paulus 1) legis istius αδυταμαν  
negari non posse, hominum omnium, vel Iudeorum etiam, qui lege  
superbiant, exemplis continuis. Nempe, quod Galat. 3. aliter esset, &  
διναμενος ζωοποιας, vitam non confert hominibus, auget potius mortem  
moralem et peccatorum opportunitatem. Hoc, rero, (vt saepe το sic ca-  
pitur,) scil. peccatum suo iure priuare, me liberare a iure et lege mei peccati,  
(v. 2.) maxime prodit, nostra experientia, legis αδυταμαν. 2) εν ω ηδερε,  
in hoc maxime spectatur legis αδυτεια, non poterat atrox peccati confus-  
tudo tolli, per hanc legem; partim, haec lex non continet perfectioris vir-  
tutis ordinem et regulam; vetat maxime externa illa peccata, quibus pu-  
blica Israelitarum societas conuellebatur; ad eorum tenue ingenium com-  
posita

(?) *Παρεστηθεν ο νομος, ελαν* quasi, non publice, vt *παρεστηκοι* fratres; *subintravit*, vulgatus; *obiter irrepit*, Erasmus; quasi *fartim*, Elitus, a Lapide; *intravit latenter*, Glossa vtraque, interlin et ordinaria, aliquie; simul: non longi temporis. Nec ratione proba vtruntur, qui opponunt (*Laurentius*, in *commentario*, *Paulus δυτινος*, aliquie) legis dationem ipsam, eiusque circumstantias; illae enim non ad omnes homines pertinuerunt, sed tantum ad populum Mosis.

(?) *το αδυτατον ον*, etc. Camerar. scil. cum a lege id (peccatum condemnare,) fieri non posset, vt alibi haec construacio non rara est. Sic verbo nouo non opus est, quod multi post Erasmus et Lutherum inseruerunt, quia constructionem putabant pertingere ad sententia. Vnde sensus fit difficultior.

posita est; quod Galat. 4, 9. dicit Paulus, *σωζεται ανθρωπος οη πτωχος*, itaque εδει ετελειωται, Hebr. 7, 29. partim, si maxime spectetur catholica illa moxaiae legis pars, quam cordibus inscripsisse Deus dicitur, vim tamen simul non inferri, non excitari ipsos istos motus in mente et voluntate, quibus melior et perfectior facultas agendi succrescit. 3) Hoc vero non tam est legis ipsius vitium aut prava indoles, quam hominum infortunium, qui peccandi confuetudine adeo oppressi sunt. Δια της σαρκος, ιδια των σαρκων οι θρωποι, homo iam totus caro est, ut iam Moses describerat, Genes. 6. ab omni spiritu et motu mentis iusto alienus, itaque voluptatibus corporis obsequi solitus.

Altera sententia: ο θεος, τον εαυτον μιον πεμψας εν ομοιωματι σαρκος αμαρτιας και περι αμαρτιας, κατεργητη την αμαρτιαν εν τη σαρκι. Lectionis hic iam claram locum habuit quaedam varietas, quam non licet negligere. Illa igitur particula, και περι χριστιας, abest a codice illo, quem Wetsteinus inter Pauli Epistolas numero 34. notauit; Sinaiticus solebat antea dici<sup>(4)</sup>; sed quia nihil habuit Wetsteinus, quod ex antiquioribus testibus afferret, negligentiae scribentis librarii ista omissio facile tribuebatur; Bengelius certe in apparatu, ne quidem operae pretium purauit, vel verbo de hac re admonere. Nos igitur supplebimus hac occasione historiam lectionis; obseruauimus enim *Cyrillum alexandrinum* aliquoties excitare hoc carmen, sed sine hac particula<sup>(5)</sup>; addimus etiam testem alium; auctorem *Homiliae inter spuria Chrysostomi*<sup>(6)</sup> hanc particulam non adferre. Ceterum et id verum est, iam *Origenem*<sup>(7)</sup> sic exhibere, ut in nostris libris

A 3

excu-

(4) Hoc exemplum et pauca similia, (quae addenda sunt *Millii prolegomenis* n. 1488.) ad singulare huius codicis ingenium informandum. faciunt; ut pertineat ad eius laudem, si alia consentiant, sive effici possit, antiquitus hanc sententiam non adsuisse in recensione provincialis quibusdam vistata.

(5) Abest haec sententia apud *Cyrrillum* tom. 5. parte 1. l. p. 591. et in *Homilia Paschali*, tomo operum 5. parte 2. pag. 105. etiam in *Thesauro* pag. 162. Atque hic eo magis attendendum, quod, ut facile conferentibus patet, *Cyrelli* ista in *Thesauro* plane conuenient, cum *Athanasii* orationibus contra Arianos, Tom. I. parte 1. edit. Montfaucon. p. 522. In *Athanasio* autem legitur haec sententia, quam ille scriptor omisit, qui cetera fere descriptis. Ceterum explicat *Athanasius* hanc sententiam libro I. contra *Apollinarium* n. 5. fecit καταναγκην peccati, super terra; maledictionem sustulit, super ligno; corruptio-nis liberationem, praefluit εν Αδε. Igitur ibi *super terra*, vitam Christi sanctam et exemplum Athanasii intellexit.

(6) Inter spuria *Chrysostomi* edit. *Montfaucon*, tomo 8. pag. 198.

(7) In *sententia carnis peccati*, iuxta περι χριστιας-κατακ. την αμαρτ. Tom. 3. edit. de la Rue, p. 623.



excusum est; atque *Tertullianum* (8) etiam latine, licet paulo aliter, describere; sribit enim *per delinquentiam*, cum ceteri latini semper prodant, *de peccato*; idem vero *Cyrillus* etiam alibi, non raro, eamdem hanc particulam (9) recitat. Itaque videri possit ista orationis pars absuisse e codicibus quorundam temporum et locorum, licet in plerisque, etiam in translationibus, locum habuerit, et cum illa disciplina, quam informare olim plerique solebant, facillime coniungi potuerit. Sed non in magno ponendum est discrimine, siue a Paulo iam addita fuerit ista particula, siue explicationem postea alii adiecerint. Ad nostram caussam praecipue pertinet hoc, ut ingenuum explicationem insignis rei nos adiuuenius; nec enim huius iam loci est, studiosius recensere magnam illam veruſtiorum interpretum familiam, qui minus accurate intellexerunt hanc sententiam; suffecerit, paucis tanrum de eo admonuisse. Igitur solebant, ut antea significabamus, *graeci Latinique* scriptores ita fere explicare, περὶ αὐγοῦτος, propter hoc immane peccatum, quod diabolus ausus fuit Christum, quasi et ipsum hominem peccatorem, morte afficere: omni pristino iure, quo in homines vtebatur, quos morti omnes aeternae tradebat, diabolum Deus priuauit. Itaque et Christus descendisse ad inferos sic informabatur, ut mortuos ex isto carcere educeret, quotiquique hoc pollicenti fidem haberent; aliis in diem iudicii ibi seruatis. Facile intelligimus, nos longe meliorem Christi disciplinam atque prouinciam hodie describere; nec fas est, patrum, siue paucorum siue multorum, inhaerere decretis, si quidem liberaliter ipsi religionis christianaæ caußam amamus. Pauci alii per peccato hic sacrificium (10) pro peccato, intellexerunt; atque horum vestigiis etiam recentiores varie insistere solebant.

Iam

(8) *Tertullianus de resurrectione carnis*; locum iam attulit *sabaterius* in corpore biblico.

(9) *Cyrillus* hanc seriem nostram habet Tomo 4, pag. 819. Tomo 1. *Gaphys* pag. 349. sed sine καὶ ante περὶ, quasi pertineat ad κατεύγειν. Tomo 5. parte 2. pag. 132. seq. Tomo 6. contra Julian. p. 92. Scimus autem *Origenis*, *Hieronymi*, *Augustini* exemplis, scriptores hos non raro diversis exemplaribus seu codicibus vsos fuisse; itaque nec easdem lectiones asserunt.

(10) Paucis hic colligimus superiorum explicationes; alii ex hebraismo, peccatum, hostia pro peccato; praeter quosdam antiquiores, *Melancthon*, *Hemmingius*, *Calatinus*, *Piscator* et vel *Slichtingius* (vt esset viictima); et sic fere *Heumannus*, (Gott hat geſtrift die Sünden der Menschen an dem Fleische seines Sohnes,) qui ei plures nominat idem sentientes. Sed, non additum est, filii sui, atque iam Conrad. *Vorſtius* monuit, rem talem describi, quae per legem fieri non potuit, legem vero omnino damnare peccatum. Alii de peccato *Iudeorum*, infligante diabolo, Christum occidentium; sic iam tempore *Augustini* quidam, *Sedulius* etiam *Scotus*, Thomas etc. plures fautores vtriusque sententiae

tentiae

Iam facile perspicimus rei summam in explicanda hac sententia eo redire, ut definiatur, virum haec pars pertineat ad *πετερων*, quod solebant antiquiores praeferre, inde a Tertulliano, Orig. Hilario etc. Ignatio<sup>(1)</sup> aliisque; atque scimus istam interpretationem, latinis graecisque placuisse adhuc *seculo nono*<sup>(12)</sup>; an vero referatur ad *πεμψας*, quod longe facilior rem explicationem adiuuat. Sic Beza ausus est explicare, et post eum alii; atque sic et nos statuimus. Est igitur haec carminis sententia: Deus hominum bono iam nouam viam monstrauit, qua e peccati et mortis infausto dominio exire licet. Misit filium illum suum, qui homo et ipse esset, sed qui *σαρξ ψυχης* dici non potest, ut omnes alii homines; igitur describitur *ἐν ὁμοιωσι ταρσος σαρκος ψυ.* Hunc, inquam, misit peccati causa, *περι ψυχης*, ut frangeret vim dominiumque peccati; quod attinet ad Christianos, ut hi iam non possint carere hac facultate, superandi peccatum. Nam quod attinet, ad pristina peccata, quibus homo obrutus fuit, ante, quam in Christum credebat: ita Deus omnia hominibus condonauit, eiusque rei causa moriendum fuit Christo pro nobis, pro peccatis nostris. Hic vero, quod Beza iam vidit, Nicol. Hemmingius, etc. de *ἐνορεκτωσ* Christi agitur, non de Christi morte, cuius vim fructumque Paulus iam antea descriperat, Cap. IV, 24. seqq.; hanc humanam vitam Christus ipse sic vixit, ut omnino sanctissimum se praestiterit, quem de aduersarii quidem infensissimi illius peccati arguere poterant. Idem vero spiritus ille Dei, qui Christum hominem adiuuit, etiam nobis impetratus et promissus est: itaque Christianos omnes oportet, hoc eodem  
dem

tentiae nominat Laurentius pag. 193. seq. *Alli:* propter peccatum auferendum, ut vim peccati, quasi tyraoni, frangeret; sic graci quidam, et alii, quos excitat Calmet, qui reddit, *il a detruit l'empire du peche;* etiam Calixtus, pro peccato deltruendo, quae sententia maxime scribentis consilio conuenit. Iam super sunt interpres, qui vtrumque coniunxerunt, hostiam et destructionem peccati in nobis, Gomarus, Seb. Schmid in paraphrasi (condemnatum, magis magisque *ex nobis delendum*) *L'enfant* in translat. gallica, Saci (pour expier le peché et nous meriter la grace de l'eveillé,) Limborch, aliisque. Cresslius praecepit ad exemplum Christi resert, quo id factum sit, etc. Bengelius: peccatum illud, quod erat in carne nostra, *ut nos liberaremur;* omnem vim ademit, pruinavit virtute.

(1) Inde ab Ignatianis, si placent, scriptis, illa *έρωτα* repetenda est, *latuisse diabolum Christi omne consilium;* itaque et *οἰνορούια* solebant non pauci sic describere; de qua re copiosius hic agere iam non licet.

(12) Vid, imper. Leonis Homil. 2. tom. 15. operum Gretseri edit. ratisb. 1741. fol. Theodorus Abucaras in opusc. ibidem p. 348. Vulgata descriptio, *ἀγκιστρον, δελεασ,* quo Christus mortem decepit, inde a sec. 4. 5. etc.



dem spiritu duce, vitam agere nouam, a peccatis seiuinctam, in vera iustitia et sanctitate; his iam *vōmos* & *κατάται*, 1 Tim. 1, 9. *κατά των τοιστῶν* &  
ἐξι *vōmos*, Gal. 5, 23. quia enim spiritu hoc ducuntur, non sunt sub lege  
ista mediocri atque minus liberali.

*Tertia sententia* est illa, sic *κατεκρίνε την σύμβασιν* ἐν τῇ *σαρκὶ*, Deus pri-  
stino iure sic priuauit peccatum, quod in homines omnes dominari solebat;  
namque iam antea Paulus peccato tribuerat προσωπον, itaque quasi damna-  
uit, aboleuit, loco mouit. Ostendit scil. Christus viam hanc nouam, ma-  
nifestauit την των σώγιων ἔδον, Hebr. 9, 8; hoc est illud tempus διορθωσεως,  
v. 10. Haec est vis λυτρωσεως, quae per Christum contigit, vt sit αἴνιξ  
λυτρωσις, vt opus non sit alia et repetita λυτρωση. Sic καθάρισμος et λυ-  
τρωσις iungitur, Tit. 2, 14.

Praeuiimus tantum formulam aliquam bonis mentibus probi studii,  
quod ad perspiciemdam salubrem istam indolem eius historiae, cui Christia-  
ni iam olim istos dies sacros esse voluerunt, adferendum est. Hoc igitur  
maxime in mentem reuocamus *vōbis*, ciues amatissimi, nobisque, ap-  
paruisse salubrem Dei gratiam, Tit. II, 11. qua ad vitam nouam excita-  
mur, abiecta omni virae, si improba adhuc fuit, consuetudine; vt et  
nos simus in isto populo, quem Christus tanto beneficio suum facere, at-  
que a peccati et poenis et foeda seruitute liberare voluit. Sic et Deo  
summo reddit suus honor, atque in terra instauratur felicitas, cum homi-  
nes iam tales fiant, vt Deo placeant. Per hos igitur dies tam sanctae hi-  
storiae memoriam sic agite, vt nouum et ipsi hominem magis magisque  
induatis, qui ad Dei imaginem honorificam si informatus.

P. P. d. 24 Decemb. 1768.




78 L 1708




Sb.

Hi. 100.





B.I.G.



LAETAM

CHRISTI NATI

SOLEMNITATEM

FRIDERICIANAE CIVIEVS COMMENDAT

PRORECTOR

GEORGIVS FRIDERICVS

MEIER

PHILOSOPHIAE PROFESSOR ORDINARIUS

REG. ACADEM. SCIENT. BEROLINENS. MEMBRVM,

C V M

D I R E C T O R E

E T

SENATV ACADEMICO RELIQVO.

PRAEMISSA

COMMENTATIONE BREVI

AD ROM. VIII, 3.

HALAE MAGDEBURGICAE

TYPIS FRIDERICI WILHELDI HVNDTII. MDCCCLXVIII.